

*Adparens tē-
pus non est
æquale.*

*Dies natura-
lis Astrono-
micus.*

*Dies natura-
lis adparens.*

*Due causæ
inæqualitatis*

*Cur Astrono-
mi diei exor-
dium sumant
à meridiano
circulo non
ab horizonte.
Maxima dif-
ferentia inter
adparentes
dies & Astro-
nomicos.*

*III. Tres mo-
di æquandi
dies naturales*

species æquales adsumunt in computatione motuum, tum vero maxi-
mé dies, vulgo naturales, Græcis $\nu\chi\theta\mu\epsilon\gamma\sigma\varsigma$ appellatos, qui tamen
reuera haud quaquam æquales deprehenduntur, & si hæc inæqualitas
seu differentia nec ita magna est, nec subito sentitur, nisi collatis duobus
inter se diebus non proximis, sed satis longo inuicem interuallo distan-
tibus. Diem enim naturalem æqualem, & aptum numerandis moti-
bus definiunt spacium temporis, quo fit integra cœli vel Aequinoctia-
lis circuli conuersio, ac præterea particulæ æqualis ei, quam Sol in zodi-
aco à medio æquinoctio æqualiter interea confecit. At verus siue adpa-
rens dies naturalis similiter spacium temporis est, quo fit integra æqui-
noctialis conuersio, ac præterea particulæ eiusdem Aequinoctialis quæ
vero motui Solis in Zodiaco ab apparenti æquinoctio respondet, Cum
autem in toto ambitu Aequinoctialis tempora numerentur 360. motus
autem Solis diurnus æqualis à medio æquinoctio fit semper 59¹
8², 20³, manifestum est, diem naturalem seu Astronomicum æqua-
lem perpetuò constare temporibus 360. 59¹, 8², 20³, sed verus
dies naturalis alias superat hunc medium alias minor est, propter dua
causas, partim quòd motus Solis verus, quanquam parum, tamen in sin-
gulos dies variatur bis tantum in anno cum æquali motu congruens.
partim quòd segmentis zodiaci etiam æqualibus non tamen æqualia re-
spondent Aequinoctialis circuli segmenta in mundi conuersione. Por-
ro cum ascensionum ratio in Horizonte multipliciter variet pro spheræ
obliquitate, in Meridiano autem sit eadem ubiq; locorum, quæ in spheræ
recta, placuit, Astronomis initium diei sumere à Meridiano potius,
quam ab Horizonte, ut omnibus in locis vno eodemq; modo appa-
rens tempus in æqualitatem commutaretur. Cæterum hac nostra ætate
maxima differentia inter æquales & apparentes dies contracta est in
tempora 7. cum 3. quintis vnus, quæ sanè aliquando supra decem
tempora sese potest extendere. Iam ex his omnibus sequitur, cum ad
præscriptam aliquam veri diei naturalis horam stellarum in cœlo loca
inuestiganda sunt non simpliciter vtendum esse illa hora, sed eam a-
stronomicæ æqualitati prius conformandam, vt ad talem inquisitio-
nem sit idonea.

Triplicem igitur modum docebimus commutandi apparens tem-
pus in æquale, primum vniuersalem, atq; omnium rectissimum ipsis
vsitatum artificibus, Ptolomæo, Copernico, & alijs, qui hos sequuntur.
Inde subiiciemus alios duos modos, quos non iniuriâ dixeris particula-
res, quia singulis ætatibus novos desiderant canones repudiatis prioribus.
Præterea

Præterea